



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

Pro die secunda Meditatio secunda. De peccatis propriis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

culas eluat simulque ignem illum infernalem, cui me ipsum toties per peccata mea addixi, extinguat.

Omnipotens, & mitissime Deus, qui sitienti populo fontem viventis aquæ de petra produxisti, educ de cordis nostri duritia lachrymas compunctionis, ut peccata nostra plangere valeamus, remissionemque eorum te miserante mereamur accipere: per Christum Dominum nostrum Amen.

Dies secunda

Meditatio quarta

De peccatis propriis.

Post consuetam orationem præparatoriam præmittas meditationi sequentia duo præludia.

Primum. Siste te tibi met ipsi ante oculos animi instar Jobi plagis innumeris oblitum, ita ut nec corpus, nec animus ullâ, vel minimâ sui parte sit vulneris expertus & sana; memoria laborat oblivione Dei, summi & veri boni: intellectus cæcutit in agnoscendis, & capiendis veritatibus æternis: voluntas cæca à cæco intellectu ducta, sæpissimè boni locò amplectitur malum, sensus sæpissimè

simè portam peccato latissimam aperunt, & liberrimum ingressum concedunt ad cor ipsum, lethalibus vulneribus fauciandum, & confodiendum.

Secundum. Curre ad Christum, medicum præstantissimum; huic vulnera tua ostende, hunc roga, ut considerato miserabili statu tuo, ad commiserationem motus vulneribus tuis curandis manum medicam admoveat, & optimum vitæ balsamum, sanguinem suum pretiosissimum illis infundat. Ad hoc impetrandum cum Isaia c. 1. his verbis ad Deum clama: *à planta pedis usque ad verticem capitis non est in me sanitas: vulnus & livor & plaga rumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Utere verbis S. Matthæi, c. 9. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Vel illis Psalmistæ regii Ps. 40. *Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.* Vel illis Jeremiæ c. 14. *Sana me domine, & sanabor.* Et hæ ipsæ preces sunt jaculatoriæ, quas interdum sæpius ad cælum evibres.

Meditationem divides in tria puncta 1. Peccata mea sunt multa. 2. Sunt gravia. 3. Sunt fortè vicina ad explendum numerum, & implendam mensura in peccatorum à Deo determinatam.

Pun-

Punctum primum.

Confidera multitudinem tuorum peccatorum, in cuius notitiam facile pervenies, si varia, ac certa vitæ hætenus actæ tempora, five climata, corporis sensus, animæ potentias, mandata ac præcepta omnia, quibus subjiceris, ad trutinam vocaveris & excuseris.

i. Percurre igitur varias, quas hætenus vixisti, ætates; in harum singulis invenies, quod deplores. Peccata in ætate tenera ac puerili: hæc obiter in memoriam revoca. Peccata in juventute, & ætate paulò maturiore in virili, in senili, & hæc animo tuo in unum congesta cumulum, sub unum obtutum propone, ut eò major sit confusio tua, & horum detestatio. Percurre memoriâ tuâ omnia loca, quæ unquam incoluisti, vel peragrâsti; omnia officia, quæ gessisti; omnes actiones, occupationes, negotia, otia, quæ habuisti & exercuisti, tuas conversationes, societates, conventicula &c. O quàm ampla seges tibi occurret expavescendi ob innumera ac præsentanea pericula, in quibus te constitutum fuisse deprehendes æternùm pereundi.

Id autem in majorem admirationem te trahere debet, quòd eò stupiditatis perveneris, ut inter tam propinqua æternæ perditionis pericula tui incurius rideres, & in ipso

ipso infernalis abyssi extremo labro ludibundus saltitares, instar aviculæ, quæ amœnæ arboris viridi ramusculo insidens læta cantillat, sui secura, non advertens periculum, quod sibi à venatore clam insidiante, ut eam fulmineo sternat ictu, impendet.

2. In memoriam revoca peccata commissa per corporis sensus, & animi facultates. Quoties corporis sensus non aperuere portas infami prodicione hostibus, in animæ perniciem conjuratis? quoties illam in apertum pereundi periculum non conjecerunt? oculi aspectibus curiosis, liberis, vel etiam lascivis: aures auscultandò, non tantùm vanos, & inutiles rumusculos, sed narrationes detractorias & scandalosas: lingua loquendò contra charitatem, imò & contra justitiam, effutiendo plenis buccis ingentem farraginem mendaciorum, murmurationum, jocosum illiberalium, scurrilium, foetentes haras, & venerem olentium: gustus, ingluvie, comotationibus, ebrietatibus, fortè etiam rationis lumen extinguentibus, gastrimargiâ: tactus mollitie effœminata, morbidis vel etiam illicitis deliciis: peccata quæ opere externo consummare, non potuisti, intra te, & per potentias animæ inditas complèsti.

Quis autem similium actuum interiorum numerum iniverit? quis horum diversitatem satis explicaverit? tot cogitationes vanæ gloriolæ inanem captantes auram; tot cogita-

gitationes avaritiæ, luxuriæ, gulæ, iracundiæ, invidiæ, acediæ: tot desideria, & complacentiæ erga objecta abominanda: tot contemptus si non formales & expliciti, saltem interpretativi, & impliciti tam legis, quàm legislatoris Divini.

O quot causas non habes erubescendi, vides te fœdissima peccatorum lepra à planta pedis, usque ad verticem, intus & foris coopertum, merum peccati ulcus esse, quod te non solum Deo, sed etiam hominibus, hanc tuam fœditatem penetrantibus & agnoscentibus reddit abominabilem. Peccatum est actio vilissima, & omni vituperio dignissima, etiam ad solum lumen naturæ consideratum: itaque si vel unum peccatum te reddit vilem, abominabilem, contemptibilem, & mille opprobriis cumulandum, quàm turpe & horrendum monstrum non eris tu, postquàm corpus & animam tot ac tantis peccatis spurcissimis inquinasti, & deformasti?

3. Voca in memoriam & mentem tuam, & proba tantisper ad lydium lapidem divinorum pariter ac humanorum, Dei & Ecclesiæ præceptorum. percurre singillatim omnia, & forsitan deprehendes, te defecisse in omnibus & singulis si non graviter, saltem leviter. Speciali accuratione excute, quomodo adimpleveris ea, quæ status Ecclesiasticus exigit; nam defectus & culpæ à secularibus admixtæ æquiparantur modico luto, quod

quod penulæ gausapinæ, vel pallio viatorio, ex crasso grisei coloris panno confecto aspergitur: admiffæ verò ab Ecclesiasticis æquiparantur fœdis, oleaceis maculis, quæ byssinis & purpureis vestibus imprimuntur.

An paruisti hæcenus illis Canonibus sacris, qui Ecclesiasticis interdunt mercimonia, venationes clamosas, ac nimias, choreas, larvas, publicas tabernas, suspecta conventicula, spectacula, & theatra prophana, in omnem licentiam, scurrilitatem effusa, lusus chartarum, alearum, symposia, comotationes, helluationes in seram quandoque noctem, etiam cum plebeis hominibus protractas? an observasti Canones illos, qui agunt de vita & honestate Clericorum, de modestia, & decencia exteriori, quæ se extendit etiam ad vestes, harum colorem, formam; ne sint nimis curtæ; ne sapiant nescio quam vanitatem plusquam sæcularem, ne dicam muliebrem, ne mollem Narcissulum aliquem vel cincinnatulum, præsertim si effæminatus crinium sive priorum, sive alienorum, ac fictitiorum usus accedat? quos gestus, motus corporis, ac membrorum exerceas tunc maximè, cum sacræ in templo functiones peragendæ sunt, vel in choro, cantando, vel ex altiore loco ad populum dicendo, vel ad aram tremendum sacrificium offerendo, vel in sacro tribunali confessiones excipiendo, vel

F
pias

pias populi processiones comitando, aut ducendo.

Si frueris beneficio aliquo Ecclesiastico, considera, an reditus illos, qui sustentationem statui & officio tuo congruam excedunt, impenderis in eleemosynas, in usus pios, in Ecclesias dotandas, ditandas vel ornandas, an potius his fructibus superfluis locò pauperum alueris integros greges venaticorum canum; impinguaveris, ditaveris nepotes, & ad altiorem nobilitatis & honoris gradum evexeris totam familiam tuam: discute, an pia legata adimpleveris. Missas tuo beneficio annexas, vel aliunde debitas, debito numero, tempore & loco celebraveris? utrùm non possideas beneficia de se incompatibilia, & quæ in uno eodémque capite sine pontificis indulgentia conjungi non possunt: quàm attentus, devotus & diligens fueris in persolvendo penso diurno horarum Canoniarum; & siquidem has omisisses, an fructus, quos tuos ob hanc socordiam non fecisti, iusta proportione restitueris, ac reparaveris.

Si tandem tibi demandata fuisset cura animarum, perpende, an satisfeceris obligationibus à Concilio Tridentino huic muneri impositis, quas ita enumerat: ut cognoscas tuas oviculas, ut sacrificium ad aram pro ipsis offeras, ut eas pascas verbo divino, administratione sacramentorum, exemplaris & religiosæ vitæ tenore, ut te misericor-

ricor-

ricordem patrem exhibeas pauperibus, & miseris, ut parvulis frangas panem, eosque lacte christianæ doctrinæ à teneris nutrias, & indefesso labore hanc ipsis inculces, ut, si nihil obstet, quotidie celebres in tua paræcia, & intra hujus limites hæreas ac resideas; ut nomina illorum, qui sacro fonte abluti sunt, in uno, in alio autem libro illorum nomina, qui matrimonio juncti fuerunt, statim sine mora, & exactè inscribas.

Sed modò tua omnium maxima cura hæc esto, ut attentè inquiras, & examines, an tu minister Christi JESU, & adjutor in procuranda salute animarum constitutus, tuis scandalis, & lurido vivendi tenore animas tuæ curæ commissas, & infinito thesauro effusi à Christo Divini sanguinis emptas, & redemptas è brachiis, & sinu hujus redemptoris impia violentia ereptas, ipsi diabolo consignaveris, & mancipaveris: si immane hoc flagitium, & diabolicum plagium unquam commisisses; meritò præ pudore & dolore ne quidem oculos ad cælum attollendi licentiam tibi fumere deberes, quòd elevatus ad supremam dignitatem Apostoli JESU Christi salvatoris, indicibili degeneris animi vilitate malueris, proditori Judæ non impar, nec absimilis, agere Apostolum diaboli.

Postquàm igitur in mentem reduxeris tantum culparum à te commissarum cumulum, humilia te sub potenti manu Dei, agnosce.

F 2

fatere

fateri te dignum, qui non uno, sed plu. mis-
 plectaris infernis: infinitas redde gratias
 clementiæ, & misericordiæ divinæ, tuam,
 licet maximam malitiam, infinities exce-
 denti, quod te tamdiu, & usque in hanc
 horam tam patienter toleraverit: suffun-
 dere coram Deo tuo, pudore & rubore
 maximo, & ut hunc adhuc magis augeas,
 adde hanc attentam considerationem, hanc
 à te hucusque haustam cognitionem de mul-
 tudine, & ingenti peccatorum tuorum
 numero, nulla ratione adæquare, imò ne
 quidem attingere numerum illorum tuorum
 peccatorum, quæ sunt occulta, & tuæ cog-
 nitioni subtrahuntur vel per ignorantiam,
 vel per oblivionem; exclama igitur cum
 propheta regio Pl. 18. *Delicta quis intelligit:*
 & subjunge: *ab occultis meis munda me Domine.*
 Absolve hoc primum punctum eliciendo
 actum perfectæ contritionis.

○ Punctum secundum.

Considera & pondera gravitatem tuo-
 rum peccatorum, quam facile colliges ex
 circumstantiis hanc aggravantibus, & horum
 enormitatem, ac deformitatem plurimum
 augentibus: sunt autem hæ circumstantiæ
 qualitas ipsius personæ peccantis, locus,
 tempus, finis, modus, instrumenta & ad-
 jumenta.

Qua

1. Qualitas personæ auget gravitatem peccati; si peccet paganus, turca, gentilis, saltem aliquid excusationis errori suo prætexere potest. Ipsius mentem nec tot, nec tam claræ illustrationes supernæ illuminârunt, quot & quàm clari veræ ac vivæ fidei radii affulsêret bi: si peccet sæcularis, mundi regulas professus, malè facit; nihilominus non contradicit vestibus, quibus induitur, nec statui, quem profitetur. Si verò exorbitet Ecclesiasticus, dehonestat, & commaculat Christi insignia, sacras, quibus induitur, vestes, & se opponit suæ obligationi, propinquiùs & arctiùs Christi vestigiis inhærendi, eique ferventiùs serviendi juxta normam & regulas consiliorum Evangelicorum.

Cæsari in Senatu à conjuratis trucidato, nulla vulnera, etsi crudelia, magis doluerunt, quàm quæ inflixit Brutus, ab ipso in filium adoptatus, hinc alto silentio premens aliorum perfidam sævitiam, uni Bruto truculentam ingratitudinem moribunda voce in hæc verba erumpens amarè exprobravit: *tu quoque Brute fili mi!* Non multum abludit ab hoc Cæsaris lamento, lamentum illud, quo Deus Pl. 54. utitur, & conqueritur contra illos hominum ingratiſsimos, qui intra suos domesticos admissi, suis familiaribus amicis annumerati, ad summos honorum & dignitatum apices evecti, suæ mensæ Ecclesiasticæ, verè oppiparæ, & basilicæ ad-

hibiti, gratissimi semper convivæ, ipsum eò audaciùs offenderunt, quò majoribus beneficiis & gratiis ab ipso affecti fuerant: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu verò homo unanimes, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.*

Peccatum tuum vix inferius & levius est peccatò Judæ, qui ad dignitatem Apostoli & discipuli, cui arcana divina crederet, evehctus, incredibili ingratitude, amantissimum suum Magistrum & Dominum prodidit, & vilissimò pretiò suis hostibus vendidit.

2. Locus, in quo peccatum est, auget culpæ gravitatem: potest violari lex à principe lata, sine adèò magno principis contemptu, modò non violetur ipso præsentè, & spectante. Tu honorem Deo non abstulisti per furtum, sed per rapinam sacrilegam violentè eripuisti præsentè & obluctanti. Quis furum tam temerarius fuit, ut sub oculis sui supremi, & severissimi judicis furaretur. Sæpiùs erubueris, & horrueris peccare in præsentia, & conspectu etiam unius tantum hominis: & tamen frontem ita perfricavisti, ut Deum inspectantem gravissimè offendere non erubueris, & conspirationis telam sub ejus oculis ordiri, & pertexere minimè horrueris. Deplora inmane hoc probrum, quod Deo ac domino tuo intulisti, cum Davide Ps. 10. his verbis: *tibi soli peccavi, & malum coram te feci.*

3. Finis,

3. Finis, qui te ad peccandum impulit, auget culpæ gravitatem. Deus tanto dignus est honore & amore, ut de minimo quidem peccato sit offendendus ad obtinendum ullum bonum aut lucrum, quantumvis maximum, ita quidem, ut si per commisionem etiam unius tantum, & minimi peccati omnes mundi divitias & thesauros lucrari & indipisci posses, deberes potius repudiare hæc omnia, ut prætiosa, & speciosa, quàm Deo inferre tantam injuriam eum postponendò cuicumque tandem bono creato: & nihilominus non peccasti, ut acquirereres nescio quod grande lucrum, aut commodum, sed propter exiguum aliquot terunciorum lucellum, propter tenuem vanæ gloriolæ fumum, propter momentaneam & sordidam delectationem: *violabant me propter pugillum hordei & fragmen panis*, justè conqueritur Deus Ezechielis c. 13. non jam propter integrum plaustrum, vel plures modios, sed pugillum hordei, non propter integrum optimæ farinæ panem, sed exiguum mucidi panis frustillum Deo ac domino tuo rebellis, omnem fidem & subjectionem ejurasti.

An non meritò tibi poterit exprobrari, quod gratis, & sine pretio tibi iram & inimicitiam Dei comparaveris juxta illud Davidis Ps. 34. *Adversantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis.* Detestare tuam dementiam, quam demonstraisti flocci faciendo ac relinquendò summum bonum, ut obtineres mi-

nimum & umbraticum bonum. Ipso Esau longè dementior, qui primogenituræ jura insulso lentis edulio vendidit, abiit parvi pendens quòd primogenita vendidisset.

4. Tempus, quo peccasti, non modicum pondus peccato adjicere potest; nam non solum peccasti in tenera & puerili ætate, quando culpas tuas ignorantia inculpabilis vel penitus exculpate, vel plurimum excusare poterat, sed peccasti etiam in ætate maturiore, in tua juventute & adolescentia, quando clara jam rationis dies, clariorem tibi cognitionem de peccati malitia infundeat, tuaque simul delicta inexcusabilia reddebat: non abripiiebaris tunc in peccata improvise vehementis alicujus passionis, sive sinistri alicujus affectus, torrentis instar erumpentis impetu, sed trahebaris in concatenata peccata à pravis habitibus, & induratis consuetudinibus.

Non abibat dies, quam non maculares aliquo ex consuetorum peccatorum genere, ut sensim tam familiare, & connaturale fieret peccare, quàm edere ac bibere, illis adnumerandus, quos Spiritus S. Prov. 4. ita describit: *Comedunt panem impiorum, & vinum iniquitatis bibunt.* Hæstisti longo tempore obduratus in tuo peccato, surdus ad inspirationes, sive voces divinas, quibus te divina bonitas ad se revocabat, & evocabat, ut extractis è profundo peccatorum cœno, cui infixus eras, pedibus ad te redires. **Gratias**

tias age Deo immensas, quòd tamdiu te tolleraverit cum tanta patientia, longanimitate, tibi que nunc tempus sufficiens concedat, quo possis redire in viam iustitiæ.

5. Modus peccandi grande peccatis tuis addit pondus, cum omni, quo peccari potest, modo peccaveris. Peccasti cogitatione, & ulterius progressus, quæ male cogitasti, & designasti, pejùs executus es. Peccasti desiderio, verbò & opere. Perpetrasti peccata commissionis, & longè frequentius omissionis, faciendò malum, quod vetabatur, & omittendò bonum, quod imperabatur. Peccasti solus, & violasti temet ipsum; nec satur, induxisti alios, ut tui socii, & peccati complices, ac participes fierent, quin & alienorum peccatorum te reum fecisti, ea non impediendò, cum posses & deberes; ea docendò, approbando, laudandò, imperandò, ad ea viam aperiendò, occasionem, consilium dandò, stimulandò.

Quanta erit confusio tua, cum te videbis non solum priorum peccatorum, sed & alienorum sordibus oppletum: *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Pl. 37.*

6. Instrumentum, quo usus es ad efforandum peccati monstrum, reddit hoc abominabile, dum ipsis beneficiis & gratiis tibi à Deo liberaliter concessis usus es ad Deum offendendum. Poterat te Deus creare cæcum, surdum, mutum, mente captum: donavit tibi Deus benignissimè visum, audi-

tum, loquelam, intellectum capacem scientiarum omnium, illuminatum, ad cognoscendum, & discernendum bonum & malum.

His, aliisque quàm plurimis beneficiis, tanquam armis tibi concessis ad Deum, ejusque honorem defendendum, abusus es, ad Deum, datorem bonorum omnium offendendum, ejusque honorem conculcandum, non minore ingratitude infamiâ, quàm se inquinaret subditus, ac servus ille, qui ense illum, quo eum dominus ac rex fuit, dum equitem vel comitem crearet, præcinxit, contra ipsum stringeret, strictumque insuper in ipsius paterna viscera ad capulum usque demergeret. Pudeat te igitur tam monstruosæ ingratitude; desle & detestare illam, sanctè spondendo, quòd tam enormem infidelitatem & ingratitude invictâ usque ad ultimum halitum constantiâ eluere ac compensare velis.

Punctum tertium.

Considera, tua peccata attigisse jam, & implevisse præfixum à Divina justitia numerum, vel proximè abesse ab hoc fatali numero complendo.

1. Non obstante magno peccatorum à te commissorum numero, facile evenire posset, ut hunc nihilominus augere pergeres fallaci spe

spe deceptus, te subinde per seriam pœnitenti-
am quidquid malorum vel damnorum tibi in-
terim accrevisset deleturum, & ad pristinum
gratiæ ac felicitatis statum rediturum. Hæc
est deceptio perniciosissima; nam qui com-
mittit peccatum mortale, in tantam se præci-
pitat miseriam ex qua incertissimum est,
utrùm unquam sit postea emerfurus.

Docent communiter Theologi, sacrarum
Paginarum, & SS. PP. nixi auctoritate,
singulis hominibus à Deo præfixum, &
præfinitum fuisse certum numerum vel men-
suram, qua impletâ nolit amplius miseri-
cordiæ esse locum, sed peccatori ulterior
pœnitentiæ agendæ occasio cum ulteriori
vita mox tollatur, vel usus rationis per de-
mentiam auferatur, vel auxiliis gratiæ effi-
cacia subtractis, ea tantummodò concedan-
tur, quibus licet posset, cooperari, & salu-
tem æternam consequi, tamen prævidetur
nunquam cooperaturus, & ideo æternum
periturus. Itaque hic peccatorum numerus
vel cumulus non unus, idemque est respectu
omnium aut singulorum, imò per primum
ac unicum peccatum, sibi præfixum nume-
rum impleverunt multi: experti hoc Angeli
Apostatæ, qui mox post primum peccatum
æternis inferni pœnis adjudicati sunt. Alii
prævaricatores suum delictorum numerum
post millesimum, alii post centesimum, alii
post quartum, vel potius per quartum im-
pleverunt, & miserè perierunt æternum:

super

super tribus sceleribus Juda, & super quatuor non convertam eum. Ita loquitur Deus apud Prophetam Amos. c. 2.

Nec tibi blandiaris identidem occinens: misericordia Divina est infinita, illimitata, absque omni termino; quod quidem verissimum & indubitatum est, si misericordiam placeat considerare juxta suam naturam, & prout est in se ipsa; non tamen est infinita in suis effectibus, id est, infinitæ misericordiæ, miserationes, & operationes semper sunt finitæ, eo nempe modo, quo divina omnipotentia dicitur, & est infinita, cum tamen creaturæ, quas creavit, & creabit, semper sint & erunt numero finitæ. Quid ergo tecum foret, si post tot jam commissa peccata, auderes vel unum novum prioribus superaddere, quod numerum compleret illorum omnium delictorum, quæ à te tolerare decrevit divina potentia, & longanimitas? actum esset de te: contremisce, & exhorresce ad hoc periculum tanquam ad monstrum terribile, quod latè diducto rictu tibi minaciter immineat, ut te discerpas: *quasi à facie colubri fuge peccatum. Eccl. c. 21.*

2. Priori adjunge hanc insuper considerationem. Esto, quòd novum, ac primum denuo post priora peccatum, non sit ultimum præstituti numeri complementum, jure tamen timendum est, ne viam sternat ad hoc ultimum complementum sive ad hanc ultimam guttam, quæ navem mergat, atque
ideo

ideo sit, si non proxima & immediata, saltem remota & mediata causa tanti infortunii, & æternæ perditionis. Et hoc eveniret, si Deus prout sæpius assolet, etiam post remissionem priorum peccatorum culpam, tibi poenam illam terribilem infligeret, ut te sineret gradatim ab uno peccato in aliud peccatum labi, & relabi, ac præcipitem ruere, donec ad supremum peccatorum coacervatorum apicem pertingeres. Ora Patrem misericordiarum, ut te per merita Jesu Christi redemptoris liberet à poena tam terribili, & pavenda.

Ineffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos, & à peccatis omnibus exuas, & à poenis, quas pro his meremur, eripias. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dies tertia

Meditatio quinta

De Morte.

Remedium optimum longè à se arcent li peccatum, est memoria quatuor novissimorum: *Memorare novissimorum, & in æternum non peccabis.* Eccl. c. 7. Hac de causa